


WESSELII ALBERTI VAN HENGEL

ORATIO

DE

RELIGIONIS CHRISTIANAE DISCIPLINA VERAE AC NATIVAE ELOQUENTIAE UBERRIMA NUTRICE.

PUBLICE HABITA

DIE VIII JUNII CIƆIƆCCCXVIII.

CUM THEOLOGIAE ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSIONEM NEC NON CONCIONATORIS SACRI MUNUS IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI SOLENNI RITU AUSPICABATUR.



AMSTELAEDAMI,
Ex Typographia Civitatis Publica.
MDCCCXVIII.

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS

MAGISTRATIBUS

ET

ILLUSTRIS ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS

CURATORIBUS,

VIRIS AMPLISSIMIS ATQUE HONORATISSIMIS,

SACRUM.

ORATIO

DE

RELIGIONIS CHRISTIANAE DISCIPLINA, VERAE AC NATIVAE ELOQUENTIAE UBERRIMA NUTRICE.

MAGISTRATUS HUJUS CIVITATIS, HUJUSQUE ATHENAEI CURATORES, VIRI AMPLISSIMI AC PERILLUSTRES!

QUI HAC IN URBE REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS, JUSTITIAEVE VINDICANDAE PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI!

CLARISSIMI QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES!

MATHESEOS ET ASTRONOMIAE LECTOR PERITISSIME!

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

QUOTQUOT ADESTIS, CIVES, HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO ET DIGNITATE CONSPICUI!

PRAESTANTISSIMI DENIQUE JUVENES, PATRIAE SPES, ATHENAEI HUJUS ORNAMENTUM, NOSTER AMOR ATQUE DELICIAE!

Quum

Quum nulla usquam terrarum fuerit disciplina, quae in procuranda generis humani salute ad Religionis Christianae praestantiam accederet; has ejus laudes doctissimi viri satis superque praedicarunt. In paucissimis autem, quae minus accurate explorata sunt, esse mihi videtur quaestio: num haec Disciplina CHRISTI, ut cetera humanitatis studia illustravit, sic Eloquentiae etiam profuisse censenda sit? Quod quidem ajunt multi, sperant longe plures: at alii contra, nihil Eloquentiam ab illa, sive accepisse, seu accipere potuisse, opinantur. Quales opiniones, si plebem tantum tenerent levem et imperitam, silentio facile possent praetermitti:

 nunc

nunc vero, cum ab eruditis atque adeo doctis viris, et in medium proferantur, et acriter defendantur; accuratius omnino examinari merentur. Estque haec ſane disquiſitio tanto majoris ponderis; quanto certius est, hac laude Religioni ſanctisſimae ablata, haud parum imminui divinam ipſius majeſtatem. Id vero, cum omnes boni caveri jubent; tum mihi maxime cavendum esſe ſentio. Quapropter, ut hoc in Athenaeo oblatum mihi munus capesſam, *de Religionis Christianae* dicam *Diſciplina, verae ac nativae Eloquentiae uberrima Nutrice.* Agite igitur A.A. H.H. quaestioni gravisſimae primum lucem adhibeamus *Historiae*: tum vero eam ad *Diſciplinae Christianae Naturam et Indolem* exigamus. Sed video, tantam mihi rerum esſe copiam, ut, ni vestra velim patientia prorſus abuti, ſumma earum magis attingenda, quam ſingula exponenda ſint. Ast et hoc ipſum,

ipſum, ut pro ingenii mei finibus ſatis amplum eſt; ita me veſtram ad indulgentiam mihi implorandam vehementer impellit.

Eloquentia igitur, ſi quaenam vera ac nativa ſit, plane et perſpicue volumus intelligere; non definitionis cujusdam tenuitate cenſenda, ſed imago ejus adumbranda, et oculis quaſi contemplanda eſt. Adeunda praecipue Graecia, cujusvis olim leporis venuſtatisque et elegantiae ſedes. Verumtamen, ne longius a propoſito diſcedatur, in duos tantum intueamur Oratores, maximos facile omnium omnino, AESCHINEM et DEMOSTHENEM. Quorum alter Eloquentiam ſuam maxime nobilitavit dicendo adverſus CTESIPHONTEM, alter CTESIPHONTEM oratione contraria defendendo.

Nimirum CTESIPHON populum rogaverat Athenienſem, ut DEMOSTHENES, cum dirutos urbis muros tam privatis quam publicis ſumtibus refeciſ-

ſet, corona aurea donaretur. Nemo autem fuit omnium, qui ſeſe huic conſilio vehementius opponeret, quam AESCHINES. Qualis vero ejus est oratio? Pauca tantum de quaestione dicit, de legibus, rogationi adverſis, itidem pauca: in unum DEMOSTHENEM acerrime invehitur. Flagitioſam iſti exprobrat vitam, audaciam cum ignavia conjunctam, auri famem et avaritiam. Hunc, hunc esſe malorum, quae patria multos per annos pasſa ſit, principem et auctorem, non corona dignum, ſed omnium bonorum contemtu, turpisſimisque poenis. Quod ut auditoribus perſuadeat, mentes eorum ex concione in theatrum educit. Praeconis fingit audiri vocem, decretos DEMOSTHENI honores promulgantem. Sic agi inquit cum pesſimo nebulone, Civium adſtantibus et Exterorum plurimis, quorum is rem privatam et publicam funditus perdiderit. Thebanos excitat odioſae remunerationis te-

teſtes et ſpectatores. Ipſas infert Thebas iſtius culpa everſas, agros circum depopulatos, viduatas feminas, pueros parentibus orbatos, ſenes exturbatos patria, indignantes omnes, lacrymis obteſtantes, ne ſcelesto capiti corona imponatur. Mortuos denique, ad orationis finem, ex ſepulcrorum adytis evocatos, contra adverſarium ſuum armat et inflammat.

Oratorem igitur univerſa concio admiratur. Obſtupefactus quisque ad ſuos revertitur. Nec tamen AESCHINI victoriam cedit DEMOSTHENES. Adſcendit et hic opportuno tempore in concionem. Non incipit ab imploranda civium miſericordia, ſed a precandis Diis, ut justos ſibi judices inveniat. Tum facta discriminis, in quod invidia adductus erat, mentione, totus deinceps verſatur in moribus ſuis ac vitae ratione purgandis et defendendis. Bene ſeſe et laudabiliter rempublicam adminiſtrasſe.

Quae

Quae adverſa fuerint patriae, PHILIPPO proſpera, tribuenda Fortunae eſſe, vel Deorum providentiae; non hominum, aut imprudentiae, aut perverſitati. In primis reminiſcendum concionis illius matutinae, qua, quamvis antecedentis diēi veſpera Prytanibus allatus erat de capta Elatea nuncius, omnium tamen imperatorum atque oratorum, quos vox praeconis ad dicendum evocabat, nemo prorſus ad ſuccurrendum laboranti patriae proceſſerit, nemo praeter ſe unum: cujus igitur ſententiam cuncti, et approbarint omnino, et religioſe ſecuti ſint. Ipſum hac de taciturnitate poſtulat AESCHINEM. Quid tunc commiſſum vel praetermiſſum ſit, nunc jubet oſtendi. Pudefacto aemulo tranſit iterum ad auditores. Sint autem, qui ſermoni obſtrepant, qui frendant, qui torvo vultu minitentur; talia non curat orator. Curſum tranquille perſequitur. Nil, quod ſibi perſuaſum eſt, expromere, ne

PHI-

PHILIPPUM quidem, ubi par est, laudibus ornare veretur. Illustres etiam memorat viros, apud Marathonem, Plataeas, Salamina, Artemisium fortisſime proeliatos, quorum non iis tantum, qui redierant victores, ſed quibus cunctis decreti datique honores ſunt. Per hos igitur adjurat Athenarum cives, nihil ab iis peccatum esſe, cum ſe ſuaſore bellum adverſus PHILIPPUM pro patria et libertate ſuſciperent. Tandem vero, criminationibus AESCHINIS aliis atque aliis disſolutis, orationem graviter concludit. Deos videlicet omnes, ut hujusmodi homines, ſi ſanari nequeant, terra marique inſectentur, ſibi contra ac civitati quantocyus ſecuritatem ac ſalutem praebeant, validisſime obſecrat et obteſtatur.

Quae vota non prorſus vana esſe, mox docet eventus. Exit concione populus, non oratoris tantum admiratione plenus, ſed animo commotus,

percusſus, expugnatus. Effugit ex urbe AESCHINES, Rhodiis enarraturus, quanto ſe ſuperiorem oratorem audierit. Repugnant fruſtra vel plane obmuteſcunt, quotquot antea rogationi adverſabantur. Suffragio populi fere univerſi, congregatis undique Graeciae civitatibus, DEMOSTHENES de patria bene meritus renunciatur, et corona aurea donatur.

Talis autem tantusque cum fuerit DEMOSTHENES, dicens adverſus AESCHINEM; qualis quaeſo et quantus contra PHILIPPUM, communem Graeciae hostem, fuiſſe existimandus est! Profecto legi non posſunt Olynthiacae illae nec Philippicae orationes, quin videamur nobis de ſuis quisque ſedibus ſublati, inque Graecorum concilium trajecti. Audimus oratorem, PHILIPPI vitia, verſutias, machinas exſecrantem. PHILIPPUM ſequimur, ex Thracia et Theſſalia in Euboeam, hinc in

Pe-

Peloponneſum invadentem, tum Elateam impetu facto occupantem, inſidiantem tandem et imminentem Athenis. Horremus caſum patriae. Implemur odio. Ad bellum inflammamur. Armis induimur. Ferimur in hoſtem. Fertur nobiſcum militum, civium, ducum, magiſtratuum, qui tempus nuper admodum diſcurrendo conſumebant, barbarisve colludebant, valida et numeroſa turba. Nequidquam impetum retardat PHILIPPI factio. Incitat omnes DEMOSTHENES imperator. Regnat ille ſolus: ſed regnat, quemadmodum rex magnus, cujus imperio populus, ſapientia et virtute viri perculſus, et ſeſe, et omnia ſua ultro et libenter ſubſternit.

Verum enim vero quid tandem est, quo id ſibi imperium vir iſte comparavit? Scilicet popularium levitas, quod AESCHINI negaverat, DEMOSTHENI conceſſit? Aut ſucceſſum hic

fortasse debuit acutis aliquot sententiis ac luminibus dicendi, quibus orationes suas ad Rhetoricorum diligentiam exornavisset? Nimirum unum DEMOSTHENES sermoni adhibet ornatum, quem monstrat ei natura mater. Quaesita quaevis et adulterata despicit et contemnit. Promit omnia ex imis pectoris sensibus. Auditorem ab initio in rem rapit mediam. Ruit velut amnis immensus profundo ore. Nullus hinc in ejus dictione languor, tumor nullus. Plenus usque est gravitate illa ac simplicitate, quam non solum aequales ejus, sed omnes veteres magno sibi desiderio concupivere; cui vero unus tantum horum omnium proxime accessit MARCUS TULLIUS CICERO. Qui, ubi VERREM, CATILINAM, ANTONIUM omni vi sua aggreditur, aut ROSCII vel MILONIS innocentiam inimitabili voce defendit; DEMOSTHENES videtur de mortuis in vitam rediisse.

At

At et hoc tandem occidente Eloquentiae lumine, occidit una nutrix ejus fidissima, civitatis publica libertas. Sed ut cum solis discessu non statim omnis evanescit diei hilaritas; sic post CICERONEM etiam in terris aliquis dicendi color et elegantia remansit. Quam tamen cum Rhetores studio et arte servare, propagare, condecorare conarentur, verum ac naturalem nitorem obscurarunt magis, quam illustrarunt. Quod supererat antiquae lucis, mox temporum infelicitate propemodum exstinctum est. Ferarum A.A. cogitate gentium in imperium incursus, frequentem provinciarum exercituumque rebellionem, ingravescentis tyrannidis coecam in quemvis licentiam, tristissimam amoris literarum una cum patriae amore jacturam, artium ac disciplinarum ruinam pene fatalem. Hisce igitur temporibus non amplius gravis ac simplex veterum placebat oratio; sed quaesita

breviloquentia, insulsa argutiarum captatio, fucatus verborum ac sententiarum splendor. Non amplius in publicum prodibant, qui animos ad verum flecterent et corrigerent; sed qui mulcerent aures, qui principibus adularentur, qui parvum sibi ac miserum alimentum hominibus delectandis compararent. Utique omnis penitus periisset, et doctrinarum, et Eloquentiae honos; ni peropportune Deus Disciplinam CHRISTI terris dedisset. Haec vero animos, patente sibi loco, ab ineptiarum studiis ad seria commentanda revocavit. Haec menti hominum, in persequendis veri vestigiis haerenti et obdormiscenti, nova et insperata cogitandi atque eleganter dicendi argumenta suppeditavit. Haec si qui Fortunae malignitate cognatos, opes, sedes, libertatem amiserant, omnes omnino ad spem beatioris vitae erexit ita, ut, tanquam sui obliviscentes, alios erigerent. Quibus,

ad-

adjuvante Deo, effectum est, ut ardor ille, quo olim DEMOSTHENES ad Eloquentiam incensus esset, plurimorum animos occuparet: immo vero, ut arderent cupiditate, non terrestris et periturae, sed coelestis et aeternae civitatis augendae et amplificandae.

Sed erunt fortasse A.A., qui singularem hunc Christianorum ardorem ingentium malorum caput et principium fuisse censeant. Ademtam nempe Historiae et Antiquitati lucem, gloriam, dignitatem. Laudis et honoris studium, tanquam nefarium, evulsum cordibus. Comitia populi ignominiose habita. Oratores foro exclusos. Jurisdictionem ad sacerdotes translatam. Quam plurimis lectionem atque imitationem Profanorum, quos vocarent, interdictam. Ut igitur Religio Christiana verae et nativae Eloquentiae nocuerit longe magis, quam profuerit.

Quae

Quae quidem omnia si vel negare velim, vel defendere; nae ego causae gravissimae patronus sim perquam ineptus! Verum enim vero cum hanc in concionem adscenderem; haudquaquam de temporis labe hominumve superstitione, sed de vera CHRISTI Disciplina dicere, mihi mens fuit. Haec autem, nisi mitigatio legum, civiumque ac populorum placatio mutua reprehendenda est; turbatae Eloquentiae crimine facile liberatur. Neque etiam in civitatibus tantopere vim ac vigorem ingeniorum restinxit, quin et omni aetate existerent, qui ad DEMOSTHENIS ac CICERONIS laudem adspirarent, et recentiora tempora AGUESSAVIOS suos, MIRABELLOS, BURKIOS haberent, quibus gloriarentur. Ceterum tantum abest, ut libris veterum legendis obstiterit, ut ad omnia, quae sibi honori et emolumento essent, ex iis colligenda, quemvis admodum incitarit. Cui sane mandato

co

eo promtius ab initio obtemperatum est, quo sectatoribus ejus intererant plures, qui ex Rhetoricorum scholis ad doctoris sacri munus transiissent. ORIGENEM dico, BASILIUM, GREGORIUM *Nazianzenum*, LACTANTIUM, CHRYSOSTOMUM, AUGUSTINUM. Hi igitur, clamorem plebeculae spernentes, monimenta ac scripta vetustatis non maximi solum fecerunt, sed laudibus etiam celebrarunt, discipulisque suis insigniter commendarunt. Eloquentiam autem quod attinet; ad hanc sibi comparandam, quo nihil honestius, nihil praeclarius esse judicabant, Christianos juvenes, et voce, et scriptis adhortati sunt. Cumque Deo loquerentur auctore, videte A.A., quam vehementer omnes, quibus vox religionis cordi esset, ad hocce studium exstimularint. Sed ne quid Christianis hac in re deësset; praecepta iis dedere dicendi, non jejuna illa, nec de trivio arcessita, sed

ARISTOTELIS et QUINCTILIANI acumine dignisſima. In primis admirari ſoleo AUGUSTINI *de Doctrina Chriſtiana* libros quatuor, paucorum quidem in manibus verſantes, ſed praeceptorum ſimplicis ac gravis orationis copiam haud ſpernendam complectentes. Advertite A.A. H.H., advertite quaeſo huc animum! Eloquentiae verae ac nativae plus quam rudimentis ſeculo post CHRISTUM quinto inſtructus et quaſi initiatus est obſcurus CHRISTI ſectator! Hiſce opibus Latii et beatae Graeciae gaud.t Afer, torrida ſub coeli plaga, exiguo ſacerdotio praefectus! Quumque jam per totum occidens Gothi aliaeque horridae gentes ſaevirent, et omnia praeclara in dies rariora fierent; unus hic maxime Chriſtianus homo, ferocibus animis pulchri venuſtique ſenſu una cum doctrina CHRISTI imbuendis, barbariči ingresſum haud parum retardavit!

Neque

Neque vero doctores Christiani artem tantum disserendi tradiderunt aliis, sed tales oratores exstiterunt, ut fere nesciam, quis primum sit, quis deinde, quis postremo loco laudandus. Si intueor Graeciam; occurrunt oculis BASILIUS et GREGORIUS *Nazianzenus*. Faciem si ad Italiam, et hinc in Lybiam converto; adest CYPRIANUS, AMBROSIUS, LACTANTIUS, et decus illud Hipponis, quod modo admirati sumus, AUGUSTINUS. Habent cum Aegyptus, tum Asia, aliaeque terrae, satis disertos pro istis temporibus viros. At omnes superat JOANNES ille CHRYSOSTOMUS, quem jam aequales sui tantopere suspexerunt, ut solem non lucere mallent, quam os ejus conticescere. Utique os istud, facundia plenum, sive Christianos ad poenitentiam peccatorum adhortatur, sive Judaeos aliosve CHRISTI aggreditur adversarios, seu in PAULI Apostoli

virtutibus excurrit; dubium est, quid magis admirari oporteat, artem ſtudio acquiſitam, an naturalem ingenii foecunditatem.

Sed vivent in primis omni aevo habitae illae ab hoc oratore ad Antiochenos *de ſtatuis* orationes, quarum, et argumento, et dictione, vix majus et ſublimius quid cogitari poteſt. Enarratur nobis A.A., ſeu, ut rectius loquar, velut in tabella deſcribitur funeſtisſimae ſeditionis libido, omnia temere permiſcens, mox etiam in THEODOSII imperatoris ejusque jam emortuae uxoris ſtatuas invadens, iſtasque tandem per vicos raptans et inſultans. Sed furore nondum ſedato, ecce! jam adest Juſtitia, ſcelerum ultrix. Repente civium turba portis effunditur. Alii, Senatores, Patricii, Plebeji, in carceres conjiciuntur ac puniuntur. Plurimi, futurorum metu concusſi ac pene exhauſti, ſeſe intra parietes abdunt. Fractae et exterritae

urbis

urbis tam praesens nobis imago est, ut rebus afflictis interesse credamus. Miseramur sortem maximae ac nobilissimae civitatis. Metuimus cum oratore acerbam THEODOSII vindictam. Cum FLAVIANO sacerdote, venerando sene, supplices imperatorem adimus. Deprecati eum, revertimur Antiochiam. Intramus templum, CHRISTO sacratum. Dei providentiam extollimus. Impunitatem ac salutem nobis mutuo gratulamur. Cum autem reminiscimur, rem prorsus agi alienam; tranquillitatem quidem recipimus, at doctrina tamen morali, qua vir facundissimus, nunc impios confundit, nunc mores corrigit, nunc miseros consolatur, hac igitur animum sentimus quisque suum ad pietatis ac virtutis studia mirifice excitatum.

Jam vero si tale quid nobis accidit lectoribus; in promtu est conjicere, quid ad flectendos animos auditorum, qui et malorum socii essent, et os

oculosque viri contuerentur; orationes iſtae valuerint. Sed non opus est conjecturis, ubi res ipſa loquitur. Sit licet haec Eloquentia pari haudquaquam numero cum Eloquentia veterum Graecorum habenda. Teneantur ſacri doctores, teneatur CHRYSOSTOMUS plus uno vitio, a quo ſapientior aetas DEMOSTHENEM ſervaverit ac CICERONEM. At est profecto, quod omnibus hisce, quod maxime CHRYSOSTOMO cum DEMOSTHENE ac CICERONE commune fuerit. Est, quod datum Chriſtianis ſit ſupra aequalium ſuorum plurimos. Neceſſitatis nempe, non voluptatis cauſa prodierunt in concionem, quo pectus ſuum, divino afflatu repletum, tanquam aperirent et exonerarent. Igitur Antiochiae, de ſtatuis agens orator, ſicut olim PERICLES, tonat, fulgurat, concionem perturbat. Pars civium ab exterorum ſuperſtitione depellitur. Pars in poenitentiam diſſo-

lu-

lutae vitae convertitur, magisve virtuti addicitur. Lacrymas quid memorem, et nunc, et aliis temporibus, eodem oratore profusas? Quid improborum plangores? Quid palmas faciem tundentes? Quid plurimos mortis supplicio ereptos? Quid animos denique populi conciliatos adeo, ut bis ejectum provincia virum caritate plane singulari prosequerentur?

Tales utinam tantique Religionis patroni nullo aevo defecissent! Sed absit querela A.A., ubi ingens copia laetandi est! Gratulantur sibi Britannia ac Germania cum sacris instauratis sacram quoque Eloquentiam restitutam, ac magis deinceps magisque excultam. Gloriantur Galliae MASSILLONIBUS suis ac BOSSUETIS, quorum vox, et reges, majestatis suae splendore elatos, ad improbationem sui, Deique timorem concitavit, et universam concionem confudit adeo, ut et ipsi oratores confun-

de-

derentur. Exſultabat jam diu haec patria noſtra SAURINO ſuo, aliisque praeclaris viris, quorum Eloquentiam olim hac in illuſtrisſima urbe eximiis laudibus praedicavit FRANCIUS, maximus ipſe hujus Athenaei orator. Nec deſunt, ſed fere abundant hodie, quibus contingat id, quod CICERO voluit, multiplex nempe corona, a principio ſilentium: crebrae deinde asſenſiones, admirationes, fletus. Abundant, quorum vox auditores a morum pravitate abſtrahat, et his jam in terris ad coeleſtium ſocietatem perducat. Te talem nos quoque vidimus, te, RAVI! haud ita pridem immatura morte nobis ereptum. Te audivimus mentes noſtras ad virtutis ac pietatis ſtudia inflammantem. Tu nobis luce tua, qua ſanctisſimam Religionem illuſtrabas, altos et profundos verae ac nativae Eloquentiae recesſus detexiſti. Tuum ego ſimulacrum ſemper hoc in pectore ge-

geram: ut ſi, te imitando, ad aliquam tandem dicendi laudem pervenero; vel ſic tamen, quot et quanta me deficiant, nullo tempore obliviſcar.

Sed ad probandam, quam incepimus, cauſam redeundum est. Quod autem monſtrabat nobis Hiſtoria, Diſciplinam Religionis Chriſtianae verae ac nativae Eloquentiae uberrimam Nutricem eſſe; expendenda nunc *Diſciplinae hujus Natura et Indole* haud dubie confirmabitur.

Sunt nimirum ita conſtitutae oratoris ſacri partes, ut ſive rem enarrare, ſive demonſtrare, ſeu denique reformandis animis inculcare velit, ſplendidisſimum nunquam non habeat dicendi argumentum. Non fabulam refert puerilem, non vanos rumores populi; ſed fata, facta, placita JESU: rem dubio vacuam, pondere gravem, utilitate inſignem. Non GAVIUM luget aliquem, adverſus leges Porcias et Sempronias caeſum virgis,

tum etiam in crucem actum; sed *Dei Filium*, sed *Servatorem* generis humani pro communi omnium salute in cruce emortuum. Hunc vero docet ab inferis, non ut in scena THESEUM, sed vere revocatum, inque aethereas oras sublatum esse. Hunc afflictae hominum societati succurrisse. Hunc nostris etiam majoribus, hunc nobis tandem sanctam tradidisse Disciplinam, qua hac in vita ad altiora praepararemur. Haec autem et plura, si in sacris, majestati rerum congruenter, explicantur, et probantur, et defenduntur, et omnium animis commendantur; gravis ista et sublimis oratio ab assiduo Historiae, Philosophiae ac Literarum usu velut alimentum Eloquentiae accipit.

Quid vero ad bene dicendum aptius et conducibilius erit, quam frequens Doctoris Christiani in moribus auditorum corrigendis et exornandis occupatio? Nonne flamma incendetur animus, con-

concionem CHRISTO ſacratam ad amorem generis humani, qualem veteres prope ignorarunt, ampliſſimis argumentis impellens? Nonne inſtitutio de iis, quae nec regum imperio, neque ulla lege humana imponantur, doctoris ſermoni vim ac dignitatem adjiciet? Nonne adjiciet ei lucem ac ſplendorem coeleſtis illius memoria coronae, Chriſtianis paratae, ſi qui ex hujus vitae certamine in ſuperas regiones tanquam in patriam pervenerint victores? Haec profecto corona, haec pretioſior multo est et oratore dignior, quam ſertum illud duabus virgulis oleaginis contextum, quod tanto ſibi negotio comparavit DEMOSTHENES.

Quamvis autem in communi vita occurrunt, quorum alia magna, alia parva appellentur; in Diſciplina CHRISTI, ut ab AUGUSTINO dictum est, omnia magna ſunt: magna, quae vel de aquae calice, pauperibus propinando, praecipiuntur.

tur. Fatemur quidem, in facris ante jam audita faepius tractari, quam de novo excogitata. Concedimus, crebra hac repetitione minui haud parum fermonum gratiam et jucunditatem. At placebunt tamen haec pluries repetita, placebunt omnino, neque utilitatis fructu carebunt; dum id modo folerter agat orator, ut nova auditoribus proferre videatur. Ceterum negamus et pernegamus, Chriftiano Doctori ubivis in tritis ac vulgatis fubfiftendum esfe. Praebet quippe ei tam ratio humana, quam codex facer, praeftantisfimarum rerum copiam et perennem veluti fontem, unde hauriri posfint, quae nemo antea guftaverit. Hinc fua petat, fi quis, REINHARDI taliumque virorum inftar, cum dictionis nitore exquifitam cupit doctrinam conjungere. Hinc proditurus in coetum, argumentum dicendi, cujus magnitudine totus impleatur, animo imbibat. Hinc largo hauftu

haustu porrigat auditoribus, ut mentes eorum, continuis hujus vitae molestiis laborantes et sudantes, divinioris orationis flumine reficiantur.

Inest igitur sine dubio, cum rationi humanae, cum literis sacris, magna bonarum rerum, quas Doctor Christianus proferat, affluentia. At occurrere video, qui dictionem tamen Veteris itemque Novi Testamenti talem esse putent, ut frequens ejus in Disciplina Christiana usus Eloquentiae magis impedimento quam adjumento sit. Quod jam prisco tempore Christianis objici consuevisse, docent CLEMENS *Alexandrinus*, ORIGENES, ARNOBIUS aliique. Neque is sane ego sum, qui vates censeam Hebraeorum, et omnes, et omni aetate, pariter Eloquentia floruisse. Nec pro eleganti haberi velim verborum constructionem, ab ingenio linguae graecae remotam. Sed quis est, quin probe mecum intelligat, in locis plurimis,

quae reprehensionem incurrant, magis desiderari artem et ornatum, quam naturae simplicitatem ac gravitatem?

At omnium, inquit, infantiam ab uno disce PAULO, pro Corinthiis sese Idiotam jactante atque Eloquentiam exagitante! In vobis nolo A.A. H.H., tam sit jejunus verborum ejus interpres! Sprevit PAULUS orationem fuco illitam ac fallacem; veram ac nativam Eloquentiam non sprevit, sed magni fecit. Et vero quam clarus, quoad Judaeo licuit, hoc in genere fuerit ipse; exempla orationum, quas habuit Antiochiae, Athenis, Hierosolymis, hunc usque in diem testantur. Verum quid controversia, jam ab HEMSTERHUSIO diremta, diutius exercear?

Quemadmodum autem PAULUS Eloquentia excelluit; sic MOSIS, DAVIDIS, JESAJAE, aliorum vatum libris, tam singulare inest veri ac pul-

pulchri connubium, ut, cujus lectione animi vehementius afficiantur, in tota antiquitate reperiatur plane nihil.

Jesu vero incomparabilis et omnino divina vox fuit! conspicite eum A.A. piscatorum portitorumque gregi, rudibus ac spe falsa elatis animis, insitas opiniones evellentem! Quam plane subigit eorum ingenia! Quam mirifice eos ab omni parte sibi devincit, ut ne mortem, si in fatis sit, magistri causa subire recusent! Quam egregie popularium turbam, luminibus orationis ex rerum circumjectarum adspectu repetitis, coelesti sua doctrina imbuit! Quam facile hos quoque sibi conciliat! Quam totos capit: ut eum per montes, per sylvas, per deserta, per maris aestus vestigiis insequantur! Quam penitus vox ejus apparitores, Judaeorum invidia in eum immissos, percellit inque fugam vertit! Audite dictum istud eorum, per-

perpetuo

petuo memorabile, *neminem unquam mortalium* JESU *inſtar locutum esſe!* Et vero teſtabuntur omnes omni aetate homines, tantam ſermonibus JESU inesſe vim ac gravitatem, ut eos legisſe nequeat, qui mente ſanus, nec prorſus depravatus ſit, quin aculeos ſentiat recti et honeſti in animo relictos.

Habet igitur Doctor Chriſtianus in ſacris literis Eloquentiae exemplaria, quae intueatur, illuſtrisſima. Habet ſibi commonſtratam locorum copiam, unde exorſa oratio, neque in humilia incidet, neque argutiis implicabitur. Sales habet ac veneres, quibus orationi ſapienter adſperſis, aurium non tantum ſperanda delectatio est, ſed animorum emendatio certisſime auguranda.

Jam vero Diſciplina Religionis ſic comparata est, ut Doctores ejus vix aliter posſint, quin hanc ſacrarum literarum Eloquentiam ipſi imitentur.

Cer-

Cernitur enim, quam plurimi eorum ſortiuntur, provincia, multo minus in adminiſtrandis ritibus, quam in docendo et adhortando. Hinc autem necesſarium esſe ſequitur, ut, qui officio ſatisfacere velint, haud mediocrem ſibi dicendi ſolertiam et ſubtilitatem acquirant. Quod, quoniam inſtitutio Theologi lectione et interpretatione veterum praeparatur, foecundioribus ſaepe ingeniis ex voto ſuccedere videmus.

Ut autem hoc necesſitatis est; ſic voluntate etiam doctores ſacri ad Eloquentiam impelluntur. Neque id mirari oportet, cum Diſciplina Chriſtiana inde a primordiis ſuis in veri et honeſti ſtudio, tanquam in regno ſuo, tota habitaverit. Sed audio, Eloquentiam haud raro appellatam esſe, quae vero et honeſto obesſet magis quam prodesſet! Recte omnino et vere. Haec nempe verſuta illa ac fraudulenta ars est, qua ſibi multi

veterum gloriam in utramque partem disputandi experiverunt. Haec, ut MURETUS queritur, magnus ipſe orator, haec respublicas, mores, univerſam vitam hominum malis acerbisſimis affecit. Hanc peſtem esſe civitatis, ex hominum congresſu longisſime relegandam, ſummis Philoſophis, KANTIO, LOCKIO, PLATONI etiam, nemo non asſentietur. Verumtamen quid haec ad Diſciplinam CHRISTI? Taline eget auxilio divinae doctrinae commendatio? Sed ne multis morer A.A! Reſpondeant illi, qui ſatius ſibi esſe putant, dicendo fallere quam vinci! Diſciplina CHRISTI nullam tolerat artem, quae legibus honeſtatis adverſa ſit. Diſciplina CHRISTI ſectatoribus ſuis ejusmodi inculcat morum doctrinam, qua CICERO quoque nonnunquam in legem cogendus videatur. Diſciplina denique CHRISTI in haud paucis verae ac nativae Eloquentiae jus ſuum asſerit. Cum autem Doctores

ſacros

facros ad fincerum in auditores amorem adhortetur; fieri videmus, ut eorum multi commodis fere aliorum magis quam fibi inferviant. Quid? quod procedentes in concionem, communis boni ftudio ardent, quod, ut adigant homines ad rectam et beatam vitam, omnes animi vires cum maxime intendunt. Sic igitur ab hifce luculente comprobatur QUINCTILIANI dictum, in proverbiis collocatum: *pectus esfe, quod difertum faciat.* Doctores quippe laudo virtute confpicuos, quales, ut fint omnes, qui pro concione dicant, veterum jam volunt plurimi: ut fint facri in primis oratores, Religionis Chriftianae poftulat majeftas. Tales igitur laudo, quales Religio haecce auguftisfima longe plures informat, quam ulla hominum Difciplina: quales tanto recti implet et honefti amore, ut dicentibus ipfis animi auditorum eodem amore impleantur. Quod quanti pendendum fit, neminem

fugiet praeter paucos desipientes, qui Eloquentiam perhibent ad res civiles necessariam esse, ad sacras non item. Hos vero somniis suis relinquimus. Horum sit oratio, si id in deliciis est, barbara et lutulenta. Persuadeant sibi, per nos licet, talem adesse Deum Disciplinae Christianae adjutorem, ut parum referat, pusillus et inanis sermo sit, an locuples et nervosus. Nos A.A. haec tenet sententia, Providentiam Dei, quemadmodum calore solis flores ac segetes ex terrae gremio proferat, sic Eloquentiae lumine mentes etiam humanas ad frugem et maturitatem perducere.

Atqui est fortasse, qui lumen istud hodie non amplius ad tanta valere negotia suspicetur. Quae suspicio non omni carere videtur causa. Nam cum quasi media Poësin inter et Philosophiam collocata Eloquentia sit; recentiores homines in dicendo multo magis ad hujus quam ad illius par-

partes inclinarunt. Veteres contra tam fuerunt beati, ut medium tenerent. Quapropter horum oratio, et numeri venuſtate, et genuina verborum facilitate, et univerſae dictionis vi et efficacitate, recentiorum ſermone longe exſtitit ſuperior. Verumtamen aetas noſtra hoc habet, ut, qui publice dicant, multo quam olim ſint, et ſedatiores voce, et honeſtatis ſtudioſiores. Praeterea nativi vigoris et ſuavitatis tantum ab interitu conſervatum, atque hoc ita deinceps excultum est, ut oratio ſimplicitatis omnino et gravitatis inſignibus neutiquam denudaretur. Hoc autem, hoc CHRISTI praecipue Diſciplinae deberi, ſatis ſuperque niſi fallor oſtendimus.

Unus adhuc reſtat ſcrupulus, videlicet oratores ſacros, qui viri eloquentes dici mererentur, paucos admodum fuisſe. Sed quis quaeſo prudens idcirco probitatem cauſae noſtrae in dubium vocabit?

 Nonne,

Nonne, quod in ſuo genere excellit, rarum quoque ſit oportet? Nonne tota in Graecia una ſeſe tantum Athenarum urbs Eloquentiae dicavit? Nonne, ut ait FRONTO, ſi Latinos omnes, quicunque post Romam conditam oratores exſtiterunt, numerare velis; vix trecentorum numerum complebis? Miratus est et ipſe CICERO, ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum, tam exiguum inveniri oratorum numerum. Nobis vero paucos in Chriſtianis oratores esſe, minori miraculo est, quam aliquos quovis circiter aevo reperiri. Sunt enim eheu! quemadmodum in omni hominum genere, ſic et in Doctorum Chriſtianorum ordine, quos ab Eloquentiae ſtudiis auertat inſcitia, ſegnities, voluptatum gravior quam officiorum cura. Sunt alii, quos vetet res anguſta altiora quaerere et emergere. Longe plurimi procul a Muſarum ſedibus conſeneſcunt. Carent,

a

a quibus dicendi exemplum capiant. Carent errorum castigatore. Carent auditoribus, pulchri et venusti sensu imbutis. Quibus hinc in lucem prodire contingit; multa jam ruris adhaerescit asperitas. Et si rara fortuna ab hac servantur; quotusquisque tamen eorum est, cui ad Eloquentiae fastigium clarissimo in loco pervadere liceat? Eadem nimirum, quam questus CICERO est, eadem plane impedit rei magnitudo, eadem, seu, ut verius loquar, longe major rei difficultas. Non amplius dicitur in civitate, totius orbis capite ac praeceptrice. Deëst universae patriae ad orationem concursus. Pro unius urbis incolis agendum, auribus placendum est, maximam partem duris ac literarum insuetis. Utendum lingua, dulcis ac volubilis veterum sermonis dissimillima. Porro frequenter dicendi est imposita necessitas. Ponderandae dictioni otium denegatum. Perexigua im-

immortalitatis consequendae spes et exspectatio? Quis est A.A. H.H., quis est vestrum, qui paucitatem oratorum eloquentium aegre ferat, aut culpam ejus in CHRISTI Disciplinam conjiciat? Immo vero quis est, qui, quod pauci eorum memoriam sui ad posteritatem extendunt, idcirco asseveret paucos esse, qui simplici ac gravi oratione auditorum animos flectere sciant? Omnino desunt in sacris oratores, quod aetati nostrae gratulamur, desunt, qui, velut olim PERICLES, conflandis bellis ingentibus rempublicam concutiant. Sed desunt neutiquam gloriosioris belli, animorum nempe cupiditatibus inferendi, hortatores et auctores. Desunt neutiquam, quorum Eloquentia multos adeo instruat et incendat, ut pro virtute cum Deo propugnantes, pulcherrimas victorias adipiscantur. Tales Christianorum victoriae, nullo sanguine commaculatae, utinam ex vero omnes

con-

conſcriberentur, inque publicum vulgarentur! Quam vellem A.A. incepta ſcelerum oratoris juſſu oppreſſa, exſtinctas invidiae, irae, vindictae flammas, blanditias libidinis profligatas, ſigillatim obire! Quam vellem plurima facinora egregia, eodem monitore perpetrata, concilio huic ſplendidiſſimo quaſi digito monſtrare! Sed est iſtud ſpectaculum longe divinius, quam ut eo accedere auſint mortales. Veniet aliquando dies, quo omnes, quotquot cum CHRISTO victoriae palmam perſequimur, ad hoc ſpectaculum congregati, Eloquentiam ſacram ſanctiore voce celebraturi ſumus.

Quae cum ita ſint; gaudeo equidem vehementer, me nunc eo in loco poſitum eſſe, ubi haud paucos reperturus ſim, quorum et ratio dicendi et oratio mihi exemplo eſſe poſſint. Hoc enim vero, favente Deo, et annuente Auguſtiſſimo Belgii Rege, hoc, inquam, Vobis debeo, Magiſtratus

hujus Civitatis, hujusque Athenaei Curatores, Viri Amplissimi ac Perillustres! qui mihi Theologiae Professionem, Concionatoris munere adjuncto, hoc in Athenaeo decrevistis. Me igitur hac in illustrissima urbe, in hoc doctissimorum hominum ordine, Vestro in conspectu, doctorem publicum constituistis. Me successorem esse voluistis Viri, doctrina et pietate, dum in vivis erat, Meritissimi, Clarissimi KLINKENBERGII. At quod Vobis in primis, Amplissimi Viri! expertum est, ardua esse solere, quae splendore excellant; id quantum me conturbet, prorsus dicere nequeo. Vereor enim graviter, et prope crucior angore, ne negotium in me susceperim, mediocritate mea longe superius. Sed reficit tamen animum cogitatio, tantam Vobis inesse benevolentiam ac facilitatem, ut mihi favorem Vestrum, consilium, opem, veniam etiam errorum, nullo tempore re-

recusaturi sitis. Curriculum igitur, quo evocatus sum, et nunc strenue et impigre ingredior, et eadem semper animi intentione persequi annitar. Ceterum Viri Amplissimi! ut Vestro auspicio, cum civitas haec Amstelaedamensis quam beatissima sit, tum Athenaeum hoc Illustre magis magisque floreat, avidis non desinam votis exoptare.

Cum autem in rebus humanis magno solatio sit, laboris habere socios; hoc nunc perquam mihi gratum accidit, me Vestrum in Collegium, Professores hujus Athenaei, Viri Clarissimi! coöptatum esse. Quae dixi modo de mediocritate mea, nunc non repetam. Utinam nullam haberem metuendi causam, ne ab assiduo Vestrae familiaritatis usu, quo uno melior doctiorque efficerer, nimia me negotia prohibitura essent! Verum tamen si quid obtingit otii, nil mihi

jucundius, nil gravius erit, quam memet Veſtram, Viri Clarisſimi! in Diſciplinam tradere. Me autem talem Vobis oſtendam, qualem me esſe ſentio, Veſtri nominis ac famae religioſum cultorem, ad officia, ſi posſim, vobis praeſtanda paratum et paratisſimum. Me igitur Vos quaeſo pro humanitate, quae in Vobis est, Veſtrae in conſuetudinis ſocietatem recipite, mihique, muneris laboranti moleſtiis, adjuvando, hortando, exſtimulando adeste! Vos vero, Viri Clarisſimi! diutisſime esſe jubeat Deus, cum mihi, tum aliis, verae et antiquae eruditionis Duces, literisque et huic Athenaeo Lumina ſplendidisſima atque Ornamenta!

Vobis, Praeſtantisſimi hujus Athenaei Alumni! nihil glorioſius ſit, quam talium duci virorum auſpicio. Me autem, quem hoc in ordine nunc numeratis, credite quaeſo et confidite, quamquam haud dubie aliis inferior doctrina ſim, veſtrae

tamen

tamen ſalutis ſtudio nemine velle inferiorem esſe! Sed ad vos me in primis converto, Juvenes Exoptatisſimi! qui vitam veſtram ſacrae diſciplinae addixiſtis. Veſtra in primis cauſa de Eloquentiae dixi cum Religione connubio, ut quale quantumque vos maneat munus, mature diſceretis. Quae autem gravis ac ſimplicis orationis propoſui exempla; ſic exiſtimate, haec vobis ad imitandum propoſita esſe. Et huc ego vos ducere etiamſi ipſe nequeam dicendo; monendo tamen cum maxime conabor. Neque in univerſa Theologiae inſtitutione volens prudensque praetermittam aliquid, quo veſtris putem commodis ac deſideriis ſatisfactum iri. Cum vero nulla aetas Theologum viderit eloquentem, quin primum humanitatis ſenſibus imbutus esſet; id volo ſtrenue atque impigre agatis, ut Literarum ac Philoſophiae ſtudio ad diſciplinam meam diligenter praeparemini. Sic vobis tandem

ali-

aliquando intererunt tales Religionis doctores, qui, opitulante Deo, auditorum pectoribus vitiositatis quasi caliginem, frigus, sterilitatem expellant, virtutisque iis ac pietatis et lucem, et ardorem, et perfectionem adhibeant.

* * *

